

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**


CCXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](#)

niis roborari & fideliter communiri. Datum & Actum Anno Domini millesimo trecentesimo octauo decimo, Sabbato post festum ascensionis Domini.

(L. S.)      (L. S.)      (L. S.)      (L. S.)      (L. S.)

Nota. Chartam hanc corruptam edidit MEICHESNER Decisionum Cameralium Tom. IV. Decif. 35. quam ex Authentico restitutam exhibemus Lectori.



## CCXXIV.

### LITTERÆ REVERSALES ABBATIS ET CONVENTUS MONASTERII ALBENSIS, DE REEMPTIONE VILLÆ MALSCH.

A N N O   M C C C X V I I I .

*Ex tabulario Bada-Durlacensi.*

Nos Abbas totusque Conventus Monasterii in Alba, Ordinis Cisterciensis, Spirensis Diaœcesis recognoscimus & notum facimus, omnibus præsentem Literam audituris & inspecturis, quod nos speciali gratia & favore concessimus, Nobili Domino, Domino nostro Friderico, Marchioni de Baaden, quod cum ipse aut sui hæredes venerint ad nos cum Mille Trecentis libris minus decem Libris Hallensium monetæ bonæ

& dativæ, tunc debemus sibi seu hæredibus suis dare ad reemendum Villam, quæ vocatur Malsch, cum omni jure, cum aquis, sylvis, pratis & pascuis, & castro Waldenfels cum omnibus juribus ad dictam Villam & castrum dictum pertinentibus, & sicut jam dictus Dominus noster Fridericus, *Marchio de Baaden*, nobis contulit ad emendum, recognoscimus etiam, quod Villanos in jam dictâ villâ residentes non amplius arctare debemus, quam ad Sturam debitam ab antiquo, & bona quæcunque alia, quæ ad ante dictam villam pertinere dignoscuntur, his debemus uti, sicut mos est ibidem, & sicut nos docent literæ nostræ super hoc datae, & hoc promittimus ratum servare, bona fide fine omni dolo, in cuius rei veritatem & ampliorem securitatem Sigillum nostrum præsentibus duximus appendendum, insuper rogavimus, generosum Dominum nostrum Rudolphum, *Marchionem de Baaden Seniorum*, & Dominum Henricum de Eberstein, quatenus Sigilla sua, appenderent Sigillo nostro, & nos Rudolphus *Marchio de Baaden Senior* & Henricus de Eberstein recognoscimus & publice protestamur, quod ex speciali dilectione & petitione ante dicti Domini Friderici, *Marchionis de Baaden*, & Domini Abbatis & Conventus Monasterii ante dicti Sigilla nostra ad firmorem permanentiam præsentibus literis appendimus in testimonium omnium prædictorum; Acta sunt hæc Anno Domini M. CCC. XVIII. Nonis Junii in die Sancti Bonifacii Episcopi.

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)